



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

11. Longa Dies.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

10. ET AMNI. Parum ab Alifone fluvio nomine differt, re ipsâ autem omnino idem est Alma, qui proximè à capite Luppiaë, eidem infra Neuhufium arcem, & vicum *Elsen* confunditur: recensenti enim omnes amnes, qui in Luppiam se exonerant, nullus occurrit, qui Alifoni castello magis conveniat. Cluver. l. c. Horrion. l. c.

11. LONGA DIES. Quid hostis manu, ferro, & igne non diruit, & evertit? quid sine vi non collabascit, & consumitur solâ vetustate? è grandi illo Drusi opere, si Almæ & Luppiaë confluentes, nomen in vico vicino servatum, & exigua fossarum vestigia excipiantur, nihil omnino hodie superest, neque à longissimâ memoriâ superfuit. Vix annis 20. steterat, quando post cladem Varianam à Germanis obsessus, atque Lucio Cæditio castrorum præfecto erumpente in potestatem eorundem venit. Hos castellum invisum funditus evertisse, Romani nominis odium, & insitus veteris libertatis amor facile persuadent. Instaurâsse tamen Romanos certum ex Tacito lib. 2. annal. *Ipse (Germanicus) audito castellum Lupiaë flumini adpositum obsideri, sex legiones eò duxit. &c.* conservatum quidem tum fuit; *Neque enim Cæsari copiam pugnae obsessores fecere, ad famam adventus ejus dilapsi.* Tac. l. c. Sed non ultra principatum Claudij Imperatoris retentum, qui ut apud Tacit. annal. 11. habetur, C. Valerio Asiatico, M. Valerio Messalâ Coss. qni, Horrionis judicio, à condito Alifone sextus & quinquagesimus erat, *ad eò novam in Germanias vim prohibuit, ut referri presidia cis Rhenum juberet.* In quorum tum potestatem Aliso à Romanis desertus venerit, an occupatus à Saxonibus, instauratusque à Carolo M. eruditè Horrion c. 10. 11. 12. disseruit. Interim dum vetus castellum quocunque demum tempore & casu

corruiat

corruit; ad vicinos Paderæ fontes crevit Paderborna, civitas multis rebus incluta, & hoc ipso loco, quo Aliso stetit, nova arx surrexit, consuetum Episcoporum ac Principum Paderbornensium, ab anno millesimo ducentesimo, domicilium. Horrion lib. 2. c. 15.

## CLADES VARIANA.

I. **CLADES VARIANA.** Nota hæc clades, quam ex auctoribus antiquis Vellej. lib. 2. Tacit. lib. 1. 2. 12. annal. Suetonius in Augusto. c. 23. in Tiberio. c. 17. Florus. lib. 4. c. 12. Dio Cassius. lib. 56. Plinius. lib. 7. hist. natur. c. 45. Seneca epist. 57. ex recentioribus verò præter alios innumeros Philip. Cluver. l. 3. Germ. antiq. c. 19. Joannes Horrion. lib. 2. Panegy. Pad. c. 9. Bernardus Mollerus. in descript. Rheni. lib. 5. Pideritius. in chron. Lippiens. Stangevolius. lib. 1. ann. circ. Westphalici partim prolixius descripserunt, partim breviter commemorarunt, partim eruditè & diligenter illustrarunt.

2. **EN VBI ROMANÆ CLADIS MONVMENTA SVPER SVNT.** Verus hîc Romanæ cladis monstratur locus, quem Urspergensis, Nauclerus, & alij Augustam Vindellicorum; Moguntiam Æneas Silvius; Duisburgum Clivorum Aventinus; In Misniam Irenicus; Strombergam Ioannes Gigas, & hunc sequutus Ioannes Baptista Nicolosius falso transtulerunt. Repugnant enim horum opinioni, aut errori potius, & communem certamque de loco designato sententiam confirmant complura monumenta, pleraque ex veterum Romanæ historiæ scriptorum testimonijs observata, atque etiamnum conspicua. Nimirum medijs Germaniæ fines, quatenus ex continuis bellis Romanis fuit cognita. Vel-